

sed secundum deum sic conferant et tueantur easdem, ne divinam incidant ultionem, et instituentis intentio observetur. Ut autem haec firma permaneant nec ab aliquo in posterum inmutentur, sigilla venerabilis patris et domini Bernhardi episcopi, domini Siffridi praepositi et capituli Mysnensis ecclesiae una cum nostro praesentibus duximus apponenda. Testes sunt dominus Siffridus praepositus praedictus, dominus Albertus decanus Mysnensis, dominus Johannes Wurzinensis, magister Theodericus Budesinensis et dominus Johannes Haynensis ecclesiarum praepositi, magister Conradus cantor Mysnensis, dominus Johannes archidiaconus Lusaciae, magister Henricus de Rokhusen et dominus de Wratizlauia canonici Mysnenses, dominus Conradus de domina nostra, dominus Theodericus de Wiztrop, dominus Rudegerus de Cyten et dominus Syboto perpetui vicarii praedictae Mysnensis ecclesiae et quam plures alii fide digni. Actum et datum Mysnae anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto XV^o. Kalendas Junii, pontificatus venerabilis patris et domini Bernhardi episcopi praedicti anno tertio.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den an Pergamentstreifen hängenden Siegeln des Bischofs, des Capitels und des Conrad von Boruz (S. Andreas).

No. 319. 1296. 4. Sept.

B. Bernhard eignet der Domkirche das Dorf Leuteritz zur Feier der Feste der heil. Dreieinigkeith und des h. Bernhard von Clairvaux, sowie seines und des Jahrgedächtnisses des Vitzthums Wernher zu Magdeburg.

In nomine domini amen. Cum hominis vita fragilis et caduca multis periculis et miseriis sit exposita, sic ut qui hodie vivus incedit, crastina die de huius vitae medio sit sublatu: noverint igitur universi praesens scriptum intuentes, quod nos Bernardus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus, cupientes animae nostrae saluti sicut melius possumus providere, villam Luderwitz^{a)} cum suis pertinentiis et proventibus, utilitate ac censu, qui se extendit ad quinque talenta usualium denariorum minus tribus solidis et dimidio, comparavimus de nostra pecunia, quae nobis intuitu personae advenerat ab Vlrico de Kanitz et fratribus suis, pro quadraginta et quatuor marcis puri argenti et ponderis Misnensis iusto emptionis et venditionis titulo accedente. Hanc villam cum censu et utilitate, sicut eam comparavimus, sic eam fratribus de capitulo ecclesiae nostrae Misnensis assignavimus et assignamus iterum per praesentes sub forma et conditionibus infra scriptis. Ita videlicet, quod festa sanctae trinitatis et beati Bernhardi abbatis et anniversarii domini Wernheri vicedomini Magdeburgensis^{b)} et nostri in ecclesia nostra Misnensi in choro singulis annis devote ac sollempniter celebrentur et tunc canonicis et vicariis perpetuis ac temporalibus praesentibus in choro in quolibet dictorum festorum et anniversariorum tempore sive die census praedictus prout competit dividatur. Et quia saepedicta villa Luderwitz a nobis et de mensa episcopali in feodo tenebatur, nos proprietatem eiusdem villae ac census nec non utilitatum eius in ecclesiam

a) Leuteritz, Par. Briessnitz. b) Wernher von Kirchberg; vgl. Lentz Hist. v. Magdeburg S. 276 f., Avemann Burggr. v. Kirchberg S. 127 f.